



I. N. J.

MEMBRUM I.

*Sensum Bruti adscribit.*

§. I.

**D**E Brutorum cognitione, PRO LOCO  
ab Amplissimo Collegio Philosophico bene-  
volè mihi concesso, more consveto quando  
acturus sum, præsupponenda omninò erit  
Anima, tanquam Fons & Scaturigo omnis  
Sensûs, Appetitûs & Motûs Localis. De hac,  
sicut & de Formis Substantialibus cæteris balbutire nobis  
tantummodo concessum est, cum eandem non sensu sed  
conjecturis, & ex Analogiâ quâdam assequi liceat. Obtinet  
illa duplicem potissimum respectum, alterum ad corpus,  
cujus dicitur Anima, alterum ad operationes, quas in corpo-  
re suo edit: ac posteriori quidem ratione *Natura*, priori verò  
*Forma* nomen propriè meretur. Formarum verò genera,  
quatuor præcipuè recenseri notum est. Quasdam enim  
reperire licet, quæ præter esse nudum corporibus naturalibus  
nihil largiuntur; quædam exhibent sese liberaliores, ac  
præter esse & vitam impertiunt; aliæ tribuunt & esse, & vi-  
vere, hisque benignitate quâdam addunt & sensum; Omni-  
um verò perfectissimè sese habent illæ, quæ Facultates me-  
moratas Divino quasi complemento nempe Ratione augent.

A 2

Ut